

cionem Prelatorum et Baronum Regni nostri de singulis viginti Jobagionibus, tociens quociens opus fieret et per vos requirentur, ad exercituandum vel ad Croaciam, aut quo necessitas postularet, compelleretis; qui etsi ad exercituandum et ad resistendum inimicis iuxta morem et consuetudinem illius Regni nostri impigri fierent, maiorem tamen partem illius Regni nostri certi Domini Prelati et Barones et pociores Nobilium possiderent, sine quorum auxilio ipsi Nobiles parum tutele siue defensionis ipsi Regno nostro facere possent. Vnde supplicarunt Maiestati nostre iidem Nobiles, vt communem huiusmodi Regni necessitatem communi omnium auxilio propulsari facere dignaremur. Et quia nos ipsos Regnicolas nostros preter antiquam consuetudinem nouo et inusitato genere exercituacionis impedire nolumus, volumus propterea et fidelitati vestre serie presentium firmiter mandamus, vt ipsos Nobiles inusitatis exercituacionibus extra limites et terminos illius Regni nostri non compellatis. In extrema tamen necessitate et periculo Regni nostri euitando, primum Domini Prelati et Barones Regni nostri, ibidem bona et possessiones habentes, auxilia gentium penes vos deputare, tandem vero vniuersitas Regnicolarum ipsorum iuxta ordinationem superinde factam homines ipsorum eo, quo necessitas postulauerit, preterea pro Regni defensione mittere debeat. Volumus preterea, vt octauas festi beati Georgii Martiris proxime affuturi faciatis in illo Regno nostro Sclauonie celebrari, et que ibidem iudicialiter terminata fuerint, absque cuiusuis fauore exequi faciatis. Prorogacionem tamen Regnicolis nostris penes Maiestatem nostram occupatis, et simul confinia Regnorum nostrorum et Castrorum finitimorum tutelam obseruantibus, iuxta formam decreti faciatis obseruari. Quia vero fidelem nostrum Egregium Magistrum Petrum de Gudowcz, Viceprothonotarium illius Regni Sclauonie, pro veteri consuetudine eiusdem Regni nostri ab onere exercituacionis exemptum fuisse accepimus: ideo volumus, vt si consuetudo huiusmodi ita exigerit, ipsum ab huiusmodi exercituacione exemptum et supportatum habere relinquereque debeat. Secus non facturi Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria tertia proxima ante festum beati Gregorii Pape. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto. Regnorum nostrorum Hungarie &c. anno quarto, Bohemie vero vigesimo quarto.

(Locus Sigilli Regii appressi.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 67.